

A 1935/v.

*Banck (4)*  
VERA SAPIENTIA  
*Sive*  
CONSIDERATIONES  
UTILISSIMÆ

Ad Sanctum Timorem Domini  
acquirendum; distributæ in  
singulos hebdomadæ  
dies,

*& à quodam Societatis JESU Religioso  
cum adjunctis ijs,*

quæ ad bonam Confessionem  
sunt necessaria, idiomate primùm  
Italico Bononiæ in lucem  
editæ,


*ac demum ab alio ejusdem Societatis  
Praga in latinum trans-  
lata.*



TYRNAVIÆ, Typis Academicis,  
per Joann. Adam. Fridl, 1693.



Timor Domini, ipsa est  
Sapientia, & recedere à ma-  
lo intelligentia. *Job. 28.*



AD LECTOREM.



*U*lemadmodum tota Ho-  
rologij machina, in plu-  
rimos licet Orbes distin-  
cta, continuo sistitur, ubi  
prima solum rota suffla-  
men injicit: ita dum humanorum pri-  
ma facultatum, Intellectus, torpenti-  
bus Ignorantia remoris attinetur; to-  
ta deinceps voluntas perversam secuta  
regulam abit in transversum Si quem  
proinde ista hodie dum inter Christianos  
morum percellit confusio, primam mali  
labem agnoscat, præcipuarum Fidei Ma-  
ximarum ignorantiam & neglectum.  
Ubi non est Scientia animæ, non  
est bonum. *Prov. 19.* Desolatione  
desolata est omnis terra, quia nullus  
est qui recogitet corde. *jerem: 12.*  
Eadem tu quoque, Amice Lector, pro-  
cellâ cum cæteris nè involtaris, mei  
muneris esse existimo, ut te ad perspi-  
cua veri lucem à me propositam unico  
quot diebus oculi conjectu usurpandam  
etiam atque etiam cohorter. *Quam in*



rem; ex tanto cognitionum pulcherrimarum numero, efficaciores quam sciam hinc comprehendendo, quibus tum ad peccati horrorem, tum suppliciorum tibi jam nunc imminentium metum, inflexus, perniciosissimum ignorantia malum domo tuâ excludas. Id hæc potissimum metodo consequeris. Nullo non die, cum primum è lectulo consurrexeris, in Conditorem tuum cum profundo adorationis & gratitudinis obsequio, mentem reflecte: subindeque lucem postula, cujus adminiculo, & quantum mali in Legis Divinae transgressione dilitescat, perspicias; & cunctas diei actiones ad Christiani decoris regulam componas. Exim destinatos diei sensus pios, ita perleges, ut animum quoque in singulis apicibus defigas: probe gnarus, Margaritas non piscari Navigia, que mare transvolant, sed ea solum qua ijs scrutandis sedulo intenta, diu eodem subsistunt loco.

At, cum forte negotiorum moles negat moram, ponderande veritati omnino necessarium, unius certe puncti lectionem non impediet: etiam festinus iste oculi transcursus, animam captivare, etiam momento, lux vera, qua

DEUS

DEUS ipse est, suis te radiis potest aspergere. Esto etiam alia quæpi matutinas sibi horas occupatio vendicet: adhuc tamen vel Missæ temporibus devotius transigendo, vel Diei sanctius concludendo, proderit accurata horum meditatio. Sed festis diebus, honor sit primarius, itaque tunc potissimum in nostro te speculo ut aspicias, in hac veritatis palestra ut exerceas, in sanctis cogitationibus ut diem inchoes ac termines, imprimis cupio, in eundemque finem geminas Dominicae Lucæ considerationes assigno. Quod si tandem turba negotiorum medicandi tibi spatium omne adimeret; eis saltem, quæ singulis Considerationibus subnectuntur, orationes, ardente animo recitare non omiseris: quisquis enim victor ex hostibus vult evadere; erectas in celum manus, cum magno electi populi Ductore, sustineat, oportet: oportet, inquam, semper orare & non delicere. Luca 18.

Hoc in exercitio si constans, ac fidelis perstiteris, plene confido fore, ut ille Dominus, qui vel luteam massam caeco visum restituit, per hasce quoque, nullius licet pretij, pagellas, lucem tibi in-

A 3

fun-



*fundat vera sapientia, cuius principium aliud non est, quam metus Divinae offensa: Initium Sapientiae Timor Domini. Psalm. 110.*



CON-

CONSIDER. PER HEBDOMADAM.  
CONSIDERATIONES  
UTILISSIMAE  
Ad Sanctum Timorem Domini ac-  
quirendum, distributæ in singulos heb-  
domadæ dies.

CONSIDERATIO. I.  
Pro die Dominica.  
Peccatum est injuria DEL.

**I.** *V*era proprièque dicta Numinis offen-  
sa, contemptus, injuria; peccatum  
est. Id non Rhetorum elegantior quæpiam  
periphrasis, sed est apertissima certitudo.  
Patrum unanimi sensu, Doctorum con-  
sensu, Divini Spiritus oraculis stabilita: à  
peccatore proteri Divinitatem, violari sum-  
mam Majestatem, DEUM ludos fieri. At  
erit, qui suam tantummodo voluptam in  
delicto sibi spectari asserat, de contemptu  
interim divino in mentem venire nihil.  
Quasi verò non spernatur Pater, cuius man-  
data detrectat filius; non herus, cui famu-  
latum abnegat servus; non maritus, cuius  
conjugis nutum non observat. Quasi non  
injurius sit in Principem subditus, cuius le-  
gem; in amicum Socialis, cuius officia; in  
Judicem reus, cuius presentiam pensi non  
habet. Per prævaricationem legis DEUM  
inhonoras. ad Romanos 2. Quod igitur  
et mens cogitare, et lingua effari trepidat;  
illud exprimere re ipsa peccantem delectat.  
Ut DEO non illudas cogitatu an levius  
est, quod actu? Cujus tu placitis non ob-  
tempe-

44

tempe-



### CONSIDERATIONES

temperas, *cujus judicia non formidas, a morem non diligis, potentiam non vereris, presentiam non respicis: cujus odium amplecteris, cujus fastidio & morte (nam angere, morique si posset Aeternus, solum ipsi lethale peccatum dolor ac mors esset) oblectaris! & adhuc tuo te solum indulgere genio affirmabis? illum a te ludibrio haberi pernegabis?*

#### Quis sit offensus?

**II.** *Urgit ex contempti pretio impudentia contemnentis. Itaque pulchritudinem, o peccator, cogita, que momento conspecta, æternas terra delicias in nauseam convertat. Majestatem cogita, cujus obsequio devorata quævis contumelia sceptris omnibus antecellit. Amabilitatem cogita, cujus minimus neglectus, Universi detrimento est superior. Perfectionem cogita, quæ innumerabilibus non sis absoluturus numeris, siue stellas ætheris, siue atomos æris, siue guttulas maris supputaris. Dic, amabo, quid autumes signari nomine, DEUS? quid istis intelligi credis vocibus: Nunquam non durare: Nunquam non consistere; Nōsse omnia: posse cuncta; frui universis? Illi tamen pulchritudini despicabilem antefers formam. Præ illa Majestate titulos sufficis merè vacuos. Amabilitatem illam restuis ludicro immersus gaudio. Illam gleba terre, perfectionem posthabes. Illud proculcas bonum, quo nullum esse melius, nullum cogitari majus, nullum tibi beatius potest accidere! Et non dum horrore contremis?*

Quis

### PER HEBDOMADAM.

#### Quis sit offensor?

**III.** *ET quantulus es, qui contemnis? Corpus aspice, ac nihilum te luto investitum consistere: quodsi esse te quidpiam affirmas, ecquidnam aut pauculis abhinc annis fueras? aut pauculis post futurus es? Animam dispice: o dedecus! In labe originali conceptus, DEO inimicus prius quam natus, Orco mancipatus, Cælo relegatus. Opes hereditario jure ad te delapsæ, que sunt, nisi ignorantia in intellectu, perversitas in voluntate, repugnantia in ratione, languor in opere? quibus, acquisiti Marte tuo, pravi è peccato habitus; contracta cum summo Judice debita: auxilij superni demerita; non leve accedunt auctarium. Sed è comparatione tenuitas tua evadet illustrior. Ingere te collecto omnium à mundi incunabulis hominum concilio; quàm inhonorus! Mentium te Angelicarum catui agglomera; quàm pusillus! Universis quotquot sunt, quotquot esse possunt creaturis te annumera; quàm nullus videre! Nunc illi, quem contumaciter projecis DEO commensus (et verò omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Matz 50.) quis sis, tute judica.*

#### ORATIO.

**T**uamne, Domine, prius admirer in me tolerando patientiam, an meam in Te offendendo impudentiam? Ecce in conspectu Majestatis Tuæ innumera Angelorum, Beatorumque multitudo, stupens ac tre-

As

mcrg



### CONSIDERATIONES

mens; Sanctus, Sanctus, Sanctus! ingeminat, vultus ob tantæ magnitudinis reverentiam obvelat, & attonita similis ante solum prosternitur: Ego interim verum abjectissimus, dum horum amoribus ac honoribus celebraris & opprobria in te jacere, & injurias cumulare præsumo. Nec tua in inferendis delictis meis ultra jam crescere potest clementia, nec mea in committendis contumacia! Equidem meruisse me confiteor, ut neque terrâ sustentarer, neque elementorum obsequio fruerer, neq; Cœli luce collustrarer: quin imò totidem in me fulmina, quot solares radios evibraret. Merui, merui, ut cruciando mihi novus, isq; longe terribilissimus infernus suscitaretur. Verum, ô benignitas! ô DEO digna longanimitas! pœnarum Tu mihi loco, veniam offers, & pacem à non postulante primus efflagitas. Quare vos in testes decreti mei voco Cœlites universi, ut tanto aliquatenus respondeam amori; Profiteor jam nunc, quanquam impunè mihi esset, solam tamen Domini, Vestriq; injuriam ante quodvis aliud malum mihi fore detestabilem; nec à me pro totius mundi præmio iterandam. Itaque eo mihi posthac loco DEUS erit, quo esse debet Bonum infinitum, inestimabile, incommutabile, & quod solum tantam malitiæ meæ abyssum, suæ potest misericordiæ abyssò superare. At oculi isti, hæc manus, hæc lingua, hoc corpus, ut instrumenta adhuc fuerunt offensæ, ita porro erunt pœnitentiæ. Faxit in gloriæ augmen-

### PER HEBDOMADAM.

tum suæ eadem Benignitas tua Domine, ut quantum tibi corde ac opere refractarius fui, & injurius: altero tantò fiam fidelior & obsequentior. Quod nunc inchoo, per nulla unquam sæcula à capto destiturus, Amen.

### CONSIDERATIO II.

Pro die Lunæ.

*Alique peccatum aggravantes circumstantie.*

*Locus peccati.*

1. **N**ihil perinde piaculi ignominiam tuam revelat, ut mundissimus in nos oculus ubique locorum intentus. Cum tu legem calcas, spectabat è propinquo Legislator: Cum minas exploderes, observabat Judex. Cum Redemptionis lytrum (pretiosum Sanguinem) proculcasses, videbat Redemptor. Cum nuncijs amicitie Divine remisissis fœdera cum styge rebeli pangeres, in te lumina desigebat Amator. Cum sacrilegam manum detrahenda vertici divino Coronæ protenderes, advertibat infinita Majestas: Verbo, peccasti. Fecisti mala, & potuisti Jerem. 3 Quid igitur: meam quidem sententiã, peccaturus porro, eas deligito latebras, quæ DEUM auferant spectatorem. Tunc enim conscio omnipotente peccati Arbitro & Vindice DEO, audeas, quod cernente me non præsumas? Tu potiore, seu meo, seu mortalium quantorumlibet oculo deberi censes reverentiã, quàm Divino?



CONSIDERATIONES

Tempus.

II. **ET** quidem jam solenni Baptismatis jure in Dei sobolem adoptatus; jam Sacramentorum usu, & quam plurimis vite sanctioris decretis Cælo authoratus, jam Numen ipsum ed. ut peccata averteret, mortuum conspexisti: quando reciproci Amoris vicem, sacrilegas eidem sannas reponere maluisti. Ut præ alijs, suâ te probitate antea utrus, de nihilo exires, gratuitum erat donum Conditoris: ut in Regione Fidei lumine instructa positis ad hunc usq; diem servatus, necessarijs & opportunis vite medijs circumseptus, non Orbe solum in rem tuam pronò utaris, sed ipsorum quoque Cæli Procerum expedita in manu haberas obsequia, Divina est benevolentia. Ut salubribus vivendi munitis informareris, ut subsidijs efficacibus, crebrâ culparum veniam, pretio vite Christi infinito, plusquam Regali Corporis Eucharistici epulo, omnium Gratiarum Gazophylacio potireris. Quid multa? us amabili brachiorum divinorum amplexu, lactis fomento, sollicitudine assiduâ enutritus, eternæ felicitatis heres fieri possis, unica est benignissimi Patris de te bene merentis munificentia. Sed enim, quo tempore sua in te munera depluebat ille, eodem tu aperta, tanta benignitatis ubera, tam profusam vite tuæ scaturiginem commordebas, conspuebas. Credam immansissimas quæ usque Africa belluas isto ingrata mentis argumento non posse non quam maximè percelli? Me-

PER HEBDOMADAM.

Media peccandi.

III. **A** Tqui nondum finis dedecorum. Tantum enim aberat, ut aut oculorum, qui te speculantur, aut brachiorum, que sustentant, reverentiâ à peccandi licentia absterrereris; ut illa quoque in Deum amares, quæ ab ipso suscepisti donativa. Illos, quos emolumento animi destinatos nactus es corporeos sensus, ac facultates, cui nam operi addixisti? Quibusnam usibus serviêrunt aut oculi aut manus (ô manus indignissimas, scelerum instrumenta tantorum) aut totum sacratissimâ Christi presentia sanctificatum toties corpus? Voluntatem altissimi Boni; Intellectum veri infiniti capacem suscepisti: illam tamen graveolenti concupiscentiarum immundissimarum sentina immergere; hunc novis assidue commiscendis adversus Largitorem stratagematis laboras impendere! Longius humana insania procedere jam in terra non poterat. Ergo (nè quid infandum præterires) non conditis solum à Deo operibus; sed ipso operum Conditore in ejusdemmet abuti opprobrium non exhorruisti. Servite me fecisti in peccatis tuis, præbui mihi laborem in iniquitatibus tuis, Isaia 43. Bonum, ajebas, Deus est; longanimis est; spondet veniam, offert penitentiam: lubeat jam patrare, quod licebit constando abolere: offendatur Divina Majestas; ut habeat quod condonet Benignitas! ô plenissimum horroris portentum! Non suffecerat Dei pe-



### CONSIDERATIONES

*vi proditorem, suas adversus eum Creaturas evocando: Deum in Desidium suscitavit peccator! Servire facit illum in iniquitatibus suis.*

#### ORATIO.

**O** Pelagus Bonitatis, sanctitatis, Rectitudinis inexhaustum! Tuis ego pedibus nunquam eo cum pudore, quo nunc, post perpensam ingratitude meam plus quam diabolicam advolvor. Heu! parum mihi erat, non modo in conspectu tuo, sed & per ipsas à Te receptas gratias infestum tibi fuisse: Nisi etiam tuam ipsius opera in temet confurrexissim! Ego amens Misericordiam, quam Fidei lumine agnovi; balneum poenitentiae, cui è venis tuis sanguinem praebuisti, in alacriorem Tui offensam converti! Ego, quod bonus esses, malus eram: quod peccati dares remedia, peccabam. Et, offendere Optimum (dicebam) displicere Maximo, quid refert? modo confitendi copia non desit: Ut proinde mihi nec umbra suppetat, quam excusandis possim culpis praetendere. Nam quae me huc audaciae impulit violentia? quae necessitas? imò cuius vel apparentis boni splendor in nefarium me cum Deo duellum extraxit? An fortassis & mihi omnia mundi Regna tentator est pollicitus? Vah! momentaneum punctum delectationis (ah! quod & diem pudeat aspicere, & aër erubescat audire) lutulenti stillam gaudij ut spernerem, aeterni dulcoris Oceanum adpromisit! Propter quid irritavit impius Deum! propter quid!

Me-

### PER HEBDOMADAM.

**Modicum**, aut veriùs, nihil erat, quod beneficijs tuis Domine, praetuli; propter quod gratia mille mundorum pretium excedentis iacturam feci; cuius amore Te Deum amabilissimum rejeci! Quid ad haec Misericordia Tua? Nimirum apertis ad me amplectendum ulnis procurrans, novam, sincerè si poeniteat, offert Condonationem. Ecce igitur, Clementissime Deus, ad te recurrentem teum, illius amore bonitatis, quae torques à me protrita, me sustinet etiamnum, & invitat ad sese. Abominor malis omnibus gravius errata mea, : eadem, ut enormem in te perfidiam execror, ut in gratitudinem avernalem, detestor! Quia verò mutare vitam, nisi Te auxiliante, non valeo; per sacratissima tua, quot vulnera, tot perorantia in favorem meum ora; per temeripsum supplico: ut dona tubinde tua non in scelerum organa commutem, sed relicta mihi etiam post peccatum remedia, novi sint amandi te stimuli, nova fidelioris obsequij excitatione, Amen.

#### CONSIDERATIO III.

Pro die Martis,

Deus odio habet peccatum.

**M**ajusne adversus peccatum proficisci a Deo possit odium, quam immensum? Ac mensura quidem odij amor est! semperque voluntas, quantà amoris in bonum, tantà odij vehementià fertur in malum. Deus vero quemadmodum merus, atque eò immensus suamet Bonitatis est amor;

ita



### CONSIDERATIONES

ita ipsius merum sit, ac immensum peccati odium, non alia quam Divina magnitudine mensuratum, necesse est. Collige mutua, omnium post homines natos hostium odia: adde Deo inimicas totius Orci voluntates: confer universa Divina, peccati lethalis, abominationi: umbram corpori, finitum contuleris infinito. Et te in dies & menses huiusmodi monstrum sinu, imò animo fovere, eidemque, tanquam catulo, colludere delectet?

Deus odio habet peccatorem.

**II.** Nec minus sceleris author, ipso scelere, Nummi invisus. Similiter odio sunt Deo, impius, & impietas eius. Sap. 14. Enimvero amicitia fedus cum malefico inire, in eundem quomodolibet munificus esse, malo ipsum perenni non devovere, nec Deus vult, si possit; nec potest, si velit. Finge intaminatam Dei Parentem noxam mortiferam illigari, & eam peraeque ac reliquam perduellium animorum confluentem citra antecedentium promeritorum respectum, & angue pejus abominabitur, & eternis addicet supplicijs. Comprehendi omnino mente nequit aversionis Divinae gravitas, cui obnoxius illico redderis, ut primum sceleri consentis. Mirum dictu! Unicum à te perpetratum crimen majoris Deo praebet ansam fastidij, quam pariat voluptatis tota operum ab intimis quibusque Dei amicis qua actorum, qua agendorum universitas. *Iunc, & ad vetera peccandi illicia mentem adver-*

### PER HEBDOMADAM.

advertens, peccata peccatis accumula! meminere tamen, per vel m, eam te Divinitati procreaturum (siquidem ita loqui fas) nauseam, eum horrorem, quem nulla Patriarcharum & Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum, Confessorum & Virginum, nulla Caeli totius possint delere obsequia. Quid tandem horres, nisi horres peccatum? Etiamne deliberabis, praestitine te peccatorem, an (quod longè expetibilius) deposita hominis personam canem fieri mortuum, draconis virulenti aut basiliscus naturam induere?

Illationes ex supra dictis.

**III.** Hic tu jam tecum: Mihi ergo anima ipsa sit amabilis, quod Deo immensum detestabile? Validius Deum in marem agat unius lethifera culpa pondus, quam coacervata creaturarum omnium factimonia in letitiam. Et ego culpam a deo non abominer, ut etiam de admissa gloriari non ambigam? Deo parum fuit in scelerum ultionem, tantam caelo, terra, & tartaro imprimis formidando illo vindicta Divinae theatro, stragem edidisse; parum tot creaturarum Myriades infinita felicitate exclusisse: nisi etiam quam plurimos, delicti vel unius gravius causa calamitosis sine aternitati adjudicasset. Mihi vero maleficium omne, risus; mihi mens peccati conscia, somnus; ipsa Dei praesentia non majoris sit lemnisco, pileo triobolo? Utrum tu falli existimas? Deumne, qui peccati



### CONSIDERATIONES

*cati malitiam usque adeo attollit; an tete qui contemnis? O cecitatis prodigium! que cum volutetur in luto, circumspicit se ut speciosam: cum Deo inimica sit, credit se beatam: cum putri sit morticino abjectior, reputat se gloriosam: cum demone sit tristior, existimat se felicissimam! Unus ex vobis Diabolus est. Joan. 6.*

### ORATIO.

**A**D exposcendam pacem & Gratiam accedo, DEUS potentissime, Regum Rex, Dominantium Domine. Nam qua alia de causa coram Te appareat hostis infensissimus, traditor perjurus, bellua monstrofa? scio solum esse peccatum, quod immensurabili odio pro merito averfari, utpote sanctissimæ voluntati Tuz oppositum: sed dum meum averfari opus, etiamne tuum detestaberis? si deformatam in me agnoscis Deitatis imaginem, an non pristino ipsam decori restitues? si quid perversitas mea in præpediendis potuit lineamentis tuis, non plus poterit Clementia tua in continuandis? En miserimus ego, ante tuæ Magnitudinis solium prostratus, totâ animi contentione veniam flagito, & plenâ libertate abominor ac retracto id omne, quo Tibi reddor detestabilis. Tuus mei peccatoris amor, tuum peccatorum meorum odium, Domine, fons unicus est, è quo hæ cordis intimè contriti scaturiunt lacrymæ. Quæ cum tantæ nondum sint, quantas equidem cuperem, mari pares; doloris mei vice tuummet, precor,

### PER HEBDOMADAM.

cor, odium accepta, & defectus pœnitudo-  
nis meæ, propria supple peccati detestatio-  
ne. Eja Domine! per illam Bonitatis aby-  
sum sinu ac visceribus Misericordiæ tuæ cõ-  
tentam! stabiliatur hodie desiderata pax,  
nullis aliquando seu adversis seu prosperis  
subruenda. Meum erit futuris temporibus,  
mandatis Divinis obsequi, suo Gratiam ha-  
bere in pretio, summo leges Tuas studio re-  
vereri. Tuum sit, Dominator supreme, lu-  
ctanti cum tentationibus adesse, peccandi  
pericula submovere, præteritarum oblivisci  
offensarum; donec obsequens Tibi, ut par  
est, in præsentis, merear amare Te, & gau-  
dere de Te in futuri vita sæculi, Amen.

### CONSIDERATIO IV.

Pro die Mercurij.

Pœnæ peccatorum.

Pœna Angelorum.

1. **P**rima Cæli Conditori suo refractarij  
malitia, primum fuit Ira Divina ex-  
perimentum. Vix de Nihili abyfso educti,  
pulcherrimis Nature pariter ac Gratiæ li-  
neamentis effugiati, regno Empyreo donati,  
lesa Majestatis crimine se obstrinxere re-  
belles Genij: continuo Gloriæ suæ vindex  
Numen, immutabili omnes lege in aver-  
num cælus deturbat. Siccine o Justissime  
mundi arbitrer? videns omnes Oceani a-  
renulas, numeranda reorum, quam perdi-  
tum is, multitudini non sufficere? Id verè  
(inquit) pensi non habet Justitia mea; ut  
doli-



CONSIDERATIONES

delictum innumeros, ita innumeros involvat supplicium. Sed enim ab artifice dextera tua nullum unquam opus te dignius emanavit. Sit sanè ita, maculam tamen, quæ se inquinârunt flammis piabunt nunquam desisturis. Ergo in unicum, idemque arctissimos intra mentis limites transfactû facinus adeo animadvertes? in unicum; sed mortale, hoc est: æternam sui abominationem commertum. Deniq; nihil illud ad veniam obtinendam faciet, quod primò sunt, quod sinè ultionis exemplo, quod sinè prævijs gehenna minis, quod ad compensandum, si tempus suppetat, nemo ijs promptior, nemo expeditior! nihil facit (reponit æquisimus peccati estimator DELUS) nihil facit. Eheu! tam grandis justitiæ nequediò homines formido ulla incessit! summi aula Divina optimates unius culpe rei condemnantur: extrema mancipia, posthabito metu, à sceleribus non desistunt?

Pœna primi hominis.

11. **E**Xinde ad flebilem primi hominis noxam, & profluam ex illa malorum Iliadem cogitationem intendamus. Vide mihi collectos, in unum velut fascem quoslibet vita mortalis dolores, egestatem, morbos, hostilitates, intuere pestes, bella, famem: universa defunctorum ossa, & quidquid uspiam mali est, contemplare in unum coarctata: poterisne, quin, tot naturæ rudèribus conspectis attonitus exclames: *hanc vero unius peccati pœna est hoc, quodcumq;*

PER HEBDOMADAM.

conspicor? tanto calamitatum exercitui, unica Precepti Divini transgressio est janua? Ah! sinè peccato fuisset mundus, omnes justitiæ & pacis, naturæ & gratiæ, temporis & Æternitatis thesauri, nobis affluxissent! O peccatum, turbide mundi torrens! malorum abyssi! unum adeo & solum malum! Quàm vellem, omnia illa lamenta, quibus plerumque nostris indolemus adversis mortales, in te unum potius, ceu mali originem converterentur! sed quò major etiam nostra est infelicitas, quod eà quoque parte toxico persimile peccatum est, quâ visu spoliat, & sui nobis horrore sinceram aufert agnitionem.

Pœna cujuslibet peccati.

111. **S**ed hæc Orbis per peccatum eversæ ruina, cum æterno anima vel unius criminis reæ supplicio collata, merum videlicet nihil censenda est. Fige, amabo, pedem ad horrendum averni limen: cùmque illa cruciatuum prodigia, illam ignium præter modum ardentium immensitatem, illam mortis perennitatem in oculos atque animum admiseris, sic tecum ratiocinare. Ergo unius voluptatula fideæ momento manditorum suppliciorum respondet æternitas? respondet! Eheu! abière quina, amplius annorum millia, ex quo infausta protoplasti soboles, Cainus, huic flammarum Oceano innatans in portum adhuc evadere nequivit! nè vel dodrantem contractorum nominum potuit persolvere! *Millia autem,*



CONSIDERATIONES

imò myriades & myriadam myriades eternitatem vix, & nē vix inchoabunt. Quid vero ad hæc is, quem hujusmodi nihil latere potest, ex alto prospiciens DEUS? videt suæ exemplar Divinitatis cremari, nec movetur: audit gnata quondam suæ gemitus, nec miseretur: percipit vagrandes miserima anima ejulatus, nec de rigore quidquā immutando deliberat. Quisnam, Cælites boni! hic tam exaggeratus fellis amaror, cujus stillula equor illud mellifluum usque adeo reddidit amarulentum? O felle & absynthio amarior peccatum! pereat Samaria, quæ ad amaritudinem concitavit Deum suum. Ose. 14. Miraris ista? illud multo mirandum amplius. Peccatum nullo satis inferno castigari. Omnes tartareorum suppliciorum tempestates, uni solum expiando attributa peccato, meritum ejus minime æquaverint: nec tam grave Furoris Domini brachium est, ut parem culpa istum valeat insigere. Habes peccati malitiam, & offensæ Divinae magnitudinem: cui luculentius exprimenda, ne ego colorem obscurum magis frustra quæsero.

ORATIO.

Quam ignota mihi ad hoc usque tempus fuit enormis malitia mea! Quam verè etiamnum de numero illorum censeri possum, qui nesciunt quid faciunt, dum te, magne DEUS, offendunt! nesciebam infernum umbram esse peccato (uni & soli malo) comparatam. Ignorabam eternitatem ignium, clementiam esse, & infinite ampli-

PER HEBDOMADAM.

us pœnarum deberi peccato, quam reipsa imponatur. Atque utinam id non ignorassem! peccare enim quâ fronte potuissem: Paululum profectò, & exiguo vix margine aberat, quin tristi experimento discerem, quod hic non percipiebam. Immortalium igitur tibi, DEUS, debitor sum gratiarum, qui id à me avertere, quod evenire permultis justissime, voluisti! Fierine autem unquam poterit, ut post tantæ misericordiæ donum, reperam offensas Donatoris? Ah prohibe, Domine, nē tu centrum cordium irriteris, & cui benigne agere placuit in peccatoris veniam, placeat jam potenter agere in peccati ruinam. Prohibe, nē quando renascatur id probrum, quod omni meâ operâ pervelim excisum. Pereat infamē non tam mihi quam tibi malum, pereat hostis amoris tui! Sic duplici pœnæ ac culpæ incommodo immunis, tui Numinis honori perpetuum immolabor, Amen.

CONSIDERATIO V.

Pro die Jovis.

Peccatum punitur in Christo.  
Debitum peccati.

I. **G**ravissimum in te creditorem concitatus, quisquis peccati lethalis debitum contrahere non vereris. Clamanti enim ex parte una Divinae Justitiæ Nemese; Redde quod debes; non est ex altera, qui satisfaciat. Non, si omnes à Cælitibus preces, à Martyribus cruciamenta, ab Angelis obs-

quies-



CONSIDERATIONES

quia, ab ipsa *Calitum Regina mutuarere* promerita, vel uno contractam summam a se diminueres. Parum istud est. Condat divina illa, quae è nihilo cuncta creavit, potentia, tot quot arenae maris sunt mundos, hoc universo magnitudine supparet. Repleat eos summa Virtutis Sanctitatisque viris, qui vigilijs & jejunijs, omnique genere austeritatum rigorem vitae superent Anachoretarum, qui adversitatum tormentorumque tolerantiam invictis praestent Martyribus, qui sanctitate Beatos omnes ipsamque adeo Sacratissimam DEI Parentem longe antecant. Mutuare ab his etiam quaecumque per immensa annorum secula conservaturi essent virtutum merita, nondum tamè vel unius noxae lethalis gravitati pondus equum in Divinae Justitiae libellam attulisti. Nempe terminis circumscripti malitia nequit, quae interminato DEO est injuria, & crimen laesae Majestatis infinita condignam non invenit satisfactionem, ubi infinita non est dignitas satisfaciens.

Christus solvit hoc debitum.

11. **Q**uod proinde nemo quisquam mortalium valuit, sibi met diluendum esse putavit peccati debitum DEUS homo, probe gnarus tam immenso debito expungendo esse opus infinito meritorum thesauro. Et fas ei sanè fuerat, unico tanta mentu suspicio litem unversam dividere: nisi ex pharmacorum mole morbi nos gravitatem edocere maluisset. Hinc porro ea dolo-

rum

PER HEBDOMADAM.

tum in Christo extitere portenta, quibus haud scio an alius aequè accommodum ac Propheta tribuerit, maris nullo litore definiti, cognomentum. Agedum lector, lugubre Salvatoris de ligno penduli simulachrum otiosè percurramus. Ecquis tandem hic vel sensus sine tormento peculiari, vel membrum sine supplicio. Ecquid hic sine acerbissimo doloris cruciatu esse potest, ubi innumeri caeteroquin discordes mortalium animi concordibus studijs in ejusmodi unius corporis conspirare lanienam, ut à planta pedis usque ad verticem capitis non esset in eo sanitas? Quantum, putas, est millenis flagellorum ictibus manu satellitum, ipsa infernali rabie animatorum concidit? Quantum est, novo, eoque crudelitate ipsa architectante fabricato coronamenti genere tempora in duo supra 70. vulnera transadigi? Quantum, nudari pudicissimum, derelinqui amabilissimum, affigi integerrimum, emori innocentissimum? Videas ad insaniam doloris impatientiam Leonem redigi, cum fortè in spinam pede offenderit: quid igitur, cum hominum tenerrimus, clavus immanibus ligno suffixus in trihorium perseverat? cum sanguine è mille plagis depluo, corpore nusquam non conciso sexcentis adhuc opprobrijs laceratur ab homine DEUS? jam quantum corpus animo, tantum exteriora Servatoris cruciamina concedunt interioribus, neque aliam admittunt sui dimensionem, nisi quàm amor Christi in Patrem, utriusque odium

B

113



CONSIDERATIONES

in peccatum circumscibitur. Et verò se  
(que multorum est sententia) quantum  
temporalis pœna universis mundi totius de-  
bebatur sceleribus ac sceleratis, unus passus  
est Christus, id agens, ut vel solius nature  
humana pensum, non mutuato à divinita-  
tis persona valore aliquam haberet cum  
contracto debito proportionem; quis im-  
mensi hujus dolorum maris aut latitudinem  
intellectu comprehendere, aut cogitatione  
attingere valebit profunditatem? Illud in-  
dubitatum: totum Christi lanienis hisce  
mactati vivere, prodigio minime caruisse.  
Neque enim tam mirus patiendæ ardor in  
longissimum tempus productus citra mira-  
culum expleri potuisset.

Illationes ex supra dictis.

III. **H**ic ego te consulo. Rectene suam lo-  
catura fuerat in sceleris excidium  
vitam & sanguinem Divina Sapiencia; si  
peccare ut tute existimas, jocus; Legem DEÏ  
transgredi, merus foret lepor, mera civili-  
tas? Cedo, nunquid longius in declarando  
culpa odio procedere jam poterat iratum  
Numen? si evertisset omnem cum elementis  
naturam, si dissipasset sidera, & homines  
omnes, ac Angelos æternis contumelisset  
incendijs, magnam credidisses offensam  
Numinis. Majus est his omnibus, vel le-  
vissimi verberis, à Christo pensi pretium  
exigere. Quanta igitur ira Numinis sit est  
necessè tam immanem penarum Oceanum  
exigentis? ita videlicet aquisima Dei in  
rebus

PER HEBDOMADAM.

rebus nostris librandis pondera immenso  
bilance humana intervallo discedunt!

Gemina hinc, tanquam Corollaria, de-  
cerpe. Alteri non unicam esse Christi mor-  
tem, sed pro numero scelerum iterari. Ea  
enim est, quam peccato renovas, adversus  
DEUM offensa, ut si denuo par aliquid ei  
reponendum foret, rursus mors hominis  
DEÏ pretium esset satisfactionis. De novo  
igitur DEUM sentibus coronas, flagris di-  
lanias, calumnijs proscindis, in Crucem  
agis, quoties culpa, solâ DEÏ nece eluende  
manum porrigis. Alterum est, ipsam Divi-  
ne liberalitatis medullam (Passionem Chri-  
sti intellige) consputat, quisquis suo illam  
usui, peccando, reddit inidoneam. Quò  
pertinere arbitror illam lacrymarum vim  
Salvatoris, inestimabile sue mortis preti-  
um, omnibus quidem suapte naturâ ad sa-  
lutem utile, paucis tamen suâ ipsorum ma-  
levolentiâ salutare, deplorantis.

ORATIO.

**S**i qua te dies misericordem aliquando vi-  
dit, JESU, omne bonum meum, hæc  
certè hora, cui tuæ viscera miserationis  
pandas, quàm maximè est opportuna. Ille,  
quem nunc cernis, mi Redemptor, quavis  
tigride est inhumanior, quovis leone bar-  
barior. Vitam tormento crucis emortuam  
DEUS homulo donavisti? an, si emenda  
tibi Divina potestas & regnum fuisset, ma-  
jore emi pretio, quàm salus mea, potuisset?  
Et, quis tunc vobis, ô Seraphini, tensus,  
Ba cur



CONSIDERATIONES

cum maleficos inter latrones medium de li-  
gno pendere DEUM conspicere? Quis  
animus, cum dolorum inexplicabilium pe-  
lagomersum, desolatione mortuum, calu-  
mnijs confepultum, Dominum vestrum spe-  
staretis? Quæ admiratio, cum inopinam  
charitatis excessum ac amoris exundantiam  
intueremini? sed en novum vobis, idque  
haud paulò levius mirandi argumentum:  
tantis impensis nè quidem cor meum emi-  
potuit. Quin & morienti terga verti, &  
vulnera innovavi, & sanguinem conculcavi.  
Quis, ah! quis parem ingratitude meæ  
dolorem nunc & lacrymas mihi tribuat? ut  
amori saltem dolorem, sanguini lacrymas  
rependam. Sed ista me quoque solius tuæ,  
Deus, munificentia præmia cum deficiant,  
desiderium certè dolendi lacrymandique ad  
te destino. Per me labi scio, surgere nescio.  
Discedere à te didici, non item reverti: Pec-  
care novi, non pœnitere. Id quod cæteris  
in me collatis beneficijs adjungere ut velis,  
ô anima meæ amator, quæ decet submissio-  
ne, efflagito. Ego interim tuo amore supe-  
ratus, sicuti omni te bono quancocunque  
antehabeo; sic illam Passionis tuæ causam,  
peccatum, præ quovis malo execror: & in  
sanctissimis hisce vulneribus salutis meæ  
ergò inflicti, semperque causæ meæ pa-  
trocinantibus, confido, prius mihi mor-  
tem, dono tuo, obventuram, quàm pecca-  
tum.

CON.

PER HEBDOMADAM.

CONSIDERATIO VI.

Pro die Veneris.

MORS.

Quid sit Mors.

1. **Q**uamlibet arctus mundo te adstrin-  
gat amoris nexus, primâ mortis ir-  
ruptione resolvetur. Filium à Patre, Pa-  
trem à Filio, à cognatis, familiaribus, opi-  
bus, succisâ revisendi spe; dirvellere; id  
enimvero morti tam est facile, quàm obvi-  
um. Proh, quæ te à morte regio excipiet?  
quàm ea in ponderandis mundi gaudijs  
hominum existimationi difformis? aderit,  
& propediem aderit ille dies sive occasus,  
à quo nullum præterea ortum, seu ortus, à  
quo nullum conspecturus es occasum. E le-  
tulo inferens sandapila, exinde templo,  
mox tumulo, perpetuæ tandem oblivioni.  
Tunc pro adamata quondam voluptate, pu-  
torem; pro exquisito cultu tenue amicu-  
lum; pro sodalibus serpentum ac vermi-  
um basia sortiêre. Eo nempe decumana fo-  
vendi corporis cura à nobis suscipitur, quò  
lautiore dein epulo vermes oblectentur! quæ  
utinam, sicut oculis usurpantur quotidie,  
sic animis impressa, in mores quoque trans-  
mittantur! tibi quidem author sum: nul-  
lam ut somni partem capias, cui mortuo-  
rum ritu in strato velut feretro compositus,  
fixâ mortis ac tumuli à tergo tibi immi-  
nentium, cogitatione, non præludas.

B 3

Est



CONSIDERATIONES

Est certa, & incerta.

II. **A**ccedit ad formidinis augmentum  
mira certissima mortis incertitu-  
do. Nam quemadmodum oculis capta, flo-  
res juxta & gramen demetit, Reges medi-  
astinis confundit, Libitina, omnes omnes:  
ita ambiguam unicuique migrandi horam  
& methodum relinquit. Peto enim abs te:  
ille, qui in tue rapinam vite foedus cum  
morte pepigit, dies est, an vox? morbus  
hic, num potius ille? annus est praesens an  
consequens? in isto. Satin' securus es de  
noxarum penititudine? de Confessarij co-  
pia? de confectis vite rationibus? latent  
te omnia, ut suspecta sint omnia. Et fac  
Caelitus te moneri de vita cum anno ter-  
minandi: fallar, nisi tu pietati vacaturus  
es ut qui maxime. Quorsum igitur ista  
nunc cessatio, si accidere quoque potest, ut  
hic ipse mensis te absolvat? Atqui riden-  
tur ista, passimque id unum agitur, ut  
caduca hic aede stabilita, nova identidem  
voluptatis, summanda de adversario ultri-  
onis, vestimentorum praestantiae ne desit  
quidpiam. At at o miseri! magnis ad vos  
stineribus contendit fatalis hora, qua cum  
vanissima illa in aere machinamenta, illa  
moles vitreae, inopinato abrumpentur.

Semel accidit.

III. **M**inus tamen metueretur metuen-  
da mors, si (quod mirere) itera-  
ri posset. Infelicitatis nostrae apex est, quod  
terum horribilissima semel tantummodo  
mane-

PER HEBDOMADAM.

manet subeunda. Itaque aeternum peristi,  
quisquis hic semel exorbitasti. Sive cadat  
arbor ad austrum, sive ad aquilonem,  
quocumque cadat, ibi erit in aeternum. Opti-  
onem habes dextera & sinistre: sed ut ad  
dexteram sternaris moriens, cave inclines  
in sinistram vivens. O quam fallimur, se-  
vite improba mortem probam pollicemur!  
Ut enim fere extremum Syndonis ceteris  
partibus correspondet: ita mors, quae utiq;  
pars vite suprema est, eidem discolor esse  
vix potest. Multum proinde refert, qua  
felicitudine eum in scopum collineas, a quo  
cum semel erras, toto Caelo ac beata aeterni-  
tate aberras. At tu, quibus diem a sordibus  
inchoas, iisdem concludis; annum scele-  
rum magis, quam mensium numero desinis;  
tabida inter cadavera confidens corvos im-  
itari, ut nimirum occisimo alarum re-  
migio in Paradysum (si superis placet) de-  
feraru. O insaniam! quanto satius fuerit  
ea nunc prestare, quae te fecisse moriens ex-  
ptabis. Quae seminaverit homo, ea & metet.

ORATIO.

**N**on possum sine magno admirationis  
juxta & gratitudinis obsequio memi-  
nisse illius Providentiae tuae, Sapientissime  
malorum meorum Medice, quam in celan-  
da meae mortis hora demonstravisti: atque  
ut circumspectus ubique & ad supremum  
obarmatus conflictum graderer, mortem  
ipsam tum latroni, cum furi, inopinato ir-  
ruentibus, similem esse & dicere voluisti.

B4

Quod-



### CONSIDERATIONES

Quod ipsum in dies me commonefacis, quando familiares, à consortio meo & vita longè remotos nusquam securæ mortalitatis jubes mihi esse documentum. His verò industrijs quousq; profecisti? Mortem præforibus astare & in momenta propinquo-rem fieri, non ignoro: & nihilominus ut victima rationis expers, quo tempore ad aram mactandus trahor, eodem vitæ securus, in risus & cachinnos effundor. Hoc scilicet est, ad ultimum passum, vel intergerimis viris cum metu expectandum sese comparare? hoc humeros ferendo oneri, sub quo etiam columnæ vacillant, adaptare? hoc, providos operum bonorum com- meatus, in Regiones illas, in quibus sua cuique de penu visitandum erit, præmitte- re? hoc, relicto domûs caduca & in ruinam inclinata ædificio, illam extruere, quæ sta- bilis futura est, quando ibit homo in domum æternitatis sue. Eccl. 12. Sed satis sit insa- nitum. Satis amara sunt, quæ ultrò effu- gient, & deserent prius quàm deserantur. Nunc, quoniam vivendi mihi tempus, eam potissimum ob causam concessum est, quò ad supremam luctam, velut miles ad instans prælium, congruâ mihi armaturâ provideâ: non commitam, ut hoc negotium negotio- rum otiosis manibus pertractetur. Unum enim est necessarium. Tu Domine, simul quæ commissa sunt, misericorditer dele, si- mul efficacem adjuuge gratiam, cujus ad- miniculo fretus, optimam vitæ normam ingrediar, nè in me quondam prædicetur:

De-

### PER HEBDOMADAM.

*Dedit ei DEUS locum penitentia, & ille abutitur eo in superbiam. Job. 24.*

### CONSIDERATIO VII.

Pro die Sabbati.

Judicium Particulare.

REUS.

1. **Q**lli terrificam Judicij peculiaris fa- ciem præviâ mentis indagine experiri voles, non alium à te ipso consule. Quis mihi (dic) tunc animus, quando ipso mortis momento ac loco metuendum hocce Tribu- nal afficiam inops, desertus, despicabilis; uno. hinc Tutelaris Genij, inde stygij te- nebrionis, circa operum vel rectè vel secus gestorum committatu sociatus. Eorum assi- sit nemo, silent omnes, quos dum perpe- ram respexi, DEUM despexi. Solus ego mil- le iniquitatum reus, Cælum inter ac orcum medius, mercedis ac supplicij incertus, ge- mine æternitatis vultu percussus, ab Ju- dice, heu! quoties sceleribus meis offenso supremam operior sententiam! & quam cito? hoc, quo teneor conclave, ille quem tot delictis infamavi, angulus mee fortas- sis tragœdiæ theatrum erunt formidabile. Quid si hoc momento Judex compareat, quo me vertam?

### J U D E X.

11. **F**rustra porrò es, si apud mitissimum DEI Agnum, asylum requiris, ubi coram Leone, terribilem Justitiæ scenam revelaturo, tui neque ad arbitrandam cul-

B 5

pam



CONSIDERATIONES

pam sapientia, neque ad averſandam reſtitudo, neque ad caſtigandam potentia, neque ad diſcernendam deest perſpicacia, erit comparandum. Itaque in lucem de latebris extrahet producta per pueritiam adoleſcentiamque ultra virilem aetatem crimina, non prius a te deſerta, quam deſerere ipſa te voluerint. Exhibebit vitioſos in ipſa virtute colores, ſiniſtras in bono opere intentiones, Sacramentorum abuſus, temporis jacturam, prepoſteros luxus, neglectum Eleemoſyna. Proponet aliena, abſ te, cum aut poſſes aut deberes, non prohibita ſucinora, Tutorum ignaviam, Parentum conniventiam, Parecorum ſocordiam, verbo: Quaecunque vel egisti vetita, vel non preſtitisti precepta, judicabit. Eſurivi, & non dedisti mihi manducare &c.

Sententia.

III. **A**T ò tremendum Judicis ultimam in reum Sententiam vibrantis fulmen! Recede a me maledicte in ignem aeternum! Apage orco digne, meo conſpectu indigne titio avernalis! involvere flammis quas non metuebas; jungere demonibus, quibus obtemperabas; ſanguine meo condemnare, quem proculcabas! Ergo, ſpolium Sathana facta, ab Cuſtode Angelo deſerta, ſuoſte pondere pregravata in puncto ad inferna deſcendit infelix anima. Videt poſtes ad exitum non pandendos: audit Satellitum rabiem nunquam inſectendam: ſentit incendia nunquam conſumanda. Et  
heu!

PER HEBDOMADAM.

heu! (vociferatur) quante beatitatis jacturam feci, quante calamitatis lucrum inveni! Licuit nuper, ah! licuit effuſo in communem uſum ſanguine jus hereditatis mihi deſtinata adipiſci, quod pertenui corporis gaudio in hanc doloris abyſſum, ſanatica permutavi. Male ſit delicijs, quibus inſcata peccato adhaſi! male demonijs, a quibus circumventa! male diei, qua nata! male ſorti, qua aeternum citra ſpem miſerationis omnem, ſum condemnata! he ſunt voces peccatoris, vim commiſſi a ſe criminis ſerò nimum perſpicientis. Latet nimirum piſcem dolus quamdiu aquis naſſa immergitur; qua extracta fruſtra deinceps ſe dolet interceptum. Quid juvat velle tunc, cum non licet? At contra, quis beata mentis ad Caelum potiundum evocata, gaudia; quis de exercitijs Paenitentiae ſtudijs gratulationes animo concipiat, nedum ſermone enarret? a te, mi Lector, ſtat: Judicem experiri ſeu amantem, ſeu malis fulminantem.

ORATIO.

**F**Ateri debeo, juſtiſſime Cordium Scrutator DEUS. Si in cauſa ſalutis meae, Judicis delectus penes me ſtatet, nullum ante te, ut cui tantopere cordi ſum, a me electum iri. Sed ſubeſt tamen huic ipſi amori ac longanimitati tuae quidpiam quod me non immerito percellit. Quid faciam cum surrexerit ad judicandum DEUS! Job. 31. Conſides etiamnum, & ideo magnitudo tua perſpici ſatis non poteſt: vi-



### CONSIDERATIONES

deo amantem, justum non video. At ubi ad judicandum surrexeris, quid faciam? tunc denique intelligere licebit, quàm æquus fuerit in sanctis omnibus tui timor; quàm imprudens mea securitas? Tunc perspicue animadvertam, infinitum quidem tibi in me fuisse amorem, sed non minus peccati odium fuisse infinitum. Ah quid me fiet? sanè quòd sequiorem illam tuæ justitiæ sententiam sæpenumerò promeritus sim, satis scio: quin compluries in syllabum nigrarum mentium relatus, non ambigo: verum, expunctusne rursus ex infelicissima tribu? certum aliquid dicere non habeo. Id certissimum vitæ mihi administratæ calculos in arcto admodum futuros, si ante Tribunal tuum supputari nunc juberentur. Illud quoque in comperto, majorem meâ stultitiam reperiri non posse, qui dies complanandis rationibus liberaliter donatos, novorum augmento nominum facio grayiores. Quin igitur me erigo, & cæcitate tandem positâ id totâ sollicitudine attendo, quod unicum, die illo decretorio obesse, quod prodesse mihi possit? Quamobrem te testor æterna veritas: Odio me gravissimo in peccata ferri, eo potissimum nomine, quod adversa tibi sint ac exosa. Omni itaque cum illis consuetudine abjectâ, susceptisque moribus Christiano dignis, sententiam mihi oprabilem, constanti precum, Misericordiæ, ac Pœnitentiæ usu, lucrifacere annitar. Tu, Judex quondam meus,

### PER HEBDOMADAM.

us, nunc Pater, propitiâ me manu de luto extractum abluc, & debita, ante horam discussionis rigidæ, quo in Filium ferreris affectu, remitte juste Judex ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis, Amen.

### CONSIDERATIO VIII.

Pro die Dominico.

### DE INFERNO.

Quid sit?

**1. UT** discrimen grande, quod in sui decursu stadij subit peccator, lucidius perspicias, metam prospice, illam, inquâ, justitiæ palestram, suppliciorum officinam, malorum diluvium animo subintra infernum. Atque en lugubre Dammati spectaculum, cujus unaquæque facultas & sensus, suis hic excipitur tormentis, ut nulla suis antè non indulset delicijs. Vos ego percontor, oculi; dum squallidissimâ hujus Carceris illuvie, incendij horrore, sumi pœdore, spirituum abnormium specie verberamini: an non jure dictum à Senensi Catharina censetis: altero sibi demonis, semel visi, aspectu viam ad extremum usque mundi diem per ignes ambulandam, haud paulo fore amœniorem? Vos, ô aures, lamentis & fremitu, maledictis & ululatu, stridore & discordi miserandæ Gentis harmoniâ delassatæ, etiâ ne meministis, uno solum canu gemitu stomachum vobis quondam fuisse commotum? vos, nares, ubi sentinas sordium, puris graveolentiam, fatores ca-



CONSIDERATIONES

da verum hauritis; sentitis, opinor unius avernium corporum lue (quod agebat D. Bonaventura) totum posse orbem infici. Vos lingua & palatum, omnes nō fallor, mundi cloacas in delicij poneretis, quando solum hic Draconis fel, Basilisci pus, dira esuries esitanda proponitur. Vos membra in omnem nuper tactus licentiam effusa omni itidem nunc dolorum mole obruta, nostros ubique languores vocatis somnia; ignes nostros, imaginem; res adversas, convivium. Mirum planè: hominem genere illustrem molli super stragulo manè decumbere, famulitij genus omne in manu habere, genialiter vivere: sub ejusdemque lucis vesperam flammeos inter pulvinos ar- elari, à tortore immanissimo premi, socijs ludibrio esse, fremere, desperare. Quid ve- rò, cum deperditæ, nec unquam recuperan- da voluptati in mentem venit? cum intel- ligendi facultas in ignorantiam prolapsa, aliud cogitare non potest, quàm quod non vult? cum voluntas in desperatione ferrea, fremit nec effugit; averfatur, nec nocet; appetit, nec assequitur? hic est exitus, hic terminus ejus vie, à qua pedes tui premen- da adhuc non abhorrebant.

Est æternus.

II. **S**ed hæc profectò malorum colluvio, quanta quanta est, si tempore clau- datur, nihil est. Unum & immensum in- ferni pondus est æternitas: Neque tam gra- ves accidere cuiquam possint flamma, qui- bus

PER HEBDOMADAM.

**E**us mille secula torqueretur, quàm rosa molles, quibus continuè immotus æternum incumberet. Quæ enim finiti proportio ad infinitum? hæc indoles æternitatis est, levi addita incommodo, reddit illud gravissi- mum; quid faciet si gravi societur? Scena productior molestè te habet; quid ignis nun- quam extinguendus? O æternitas! non timeris, quia scilicet non agnosceris. O æternitas! adeone certum, ubi tuam semel regionem subiero, nè ad ictum oculi pœnas mihi alleviandas, ut ut lacrymarum copia mearum excrescat in pelagus? adeone ra- tum, frustra tibi componi aëris atomos, arena grana, aquarum guttas, arborum frondes, cæli stellas; quorum cum excesseris numerum, mei adhuc cruciatûs eris i- nitium? adeone immutabile, non adfore levanti tantillum, postquam constata ex ere rerum omnium compago, tenuissimis formice vestigijs, alternis, non plus, se- culis ipsam perambulature, fuerit susque deque contrita? O æternitas! nec te quid- quam funestius; nec peccatore reperire est stultius, à quo in ipso etiam tui ingressu ri- deris, exhibilaris? Quid hoc prodigij est? Credimus ut credendum est, non vivimus ut est vivendum.

Meritus es infernum.

III. **H**æc dum animo reputas, vite pa- riter anteactæ revolutâ serie, illud concludere: tantam tibi æternitatem ab an- nis jam compluribus deberi. O quanto te

inte-



### CONSIDERATIONES

*integriores perpetuo flammarum cataclysmo cruciabuntur! quibus, quod non accesseris dudum miserantis DEI agnosce beneficium. Tibi tuisque relictus demeritis, heu! ubi degeres? nãc ipsã horã (quid enim dissimulem?) rogos inter & cãcõdemones, procul omni evadendi remedio, constitutus, animi impotens, frenderes, rugires, mala corpori, mala sensui, mala opibus intempestivo sanẽ voto imprecarẽ. Ah! quantum fuit incommodi tolerandum, ut eternitatis incommodus subraherer. Quantum lucri rejiciendum, ut DEI conspectum lucrarer? Quantilla pax procuranda, ut hoc DEI odio non involverer? Ecquis vel horã mihi dimidium in carnis antehac probra impensum, reducat millenis à me in inferno seculis redimendum? sed nimirum stultum foret Divinam tunc Misericordiam implorare, cum pro tribunali sedet Justitia. Itã demum statue. Reliquum tibi temporis à DEO concedi, non; quò in gratiam cum vitijs redeas, sed unice, ut omni ad peccatum affectu deposito, cordatã mentem expies penitentia. Si penitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. Quã enim prorogatur sententia, mutari deinceps nequit, nisi tu immuteris.*

### ORATIO.

**E**T fieri potest, Justissime mundi Rector, ut etiam horrendã æternorum cruciatuum comminatione. timorem tui, à saxeo hoc corde impetrare non possis? ut è terribili

### PER HEBDOMADAM.

bili flammarum infernalium specie nondum didicerim, tui in peccatum odij, mei in te offendendo erroris, magnitudinẽ? Ac infanus quidem furor est vel uno temporis puncto tuum velle inimicum effici: sed furorem omnem exsuperat, quòd menses & annos in implacabili hostilitate perstare non modò non expavi, sed ipsam quoque tecum inimicitiam delicias putavi. Ergo, nisi pervicaciam meam tua excederet patientia, pridem damnationis decretum in me pronunciandum fuerat, quod in meum nunc commodum consultò prorogatur. Nè tamen, ò salus mea, DEUS, desiste clementer tolerare eum, qui totum se tuã mancipat misericordia; Nè rejice abs te animam, tam carò tibi emptam, tanto studio, & lassitudine quãsitam, & nunc pedibus se tuis suppliciter substernentem. Supple robur, quo evadam scelera, adauge mecum, quo infernum tuo me ab aspectu separantem expavescam; oblitera sanguine tuo legem, quã perpetuis supplicijs toties additus sum. Ego tuã bonitatis de malitia mea triumphantis vivum semper trophæum, Misericordias tuas in æternum cantabo, Amen.



CON-



CONSIDERATIO  
CONSIDERATIO IX  
Pœnitentiæ Sacramentum adituri.  
Quæ Confessione præmittenda?

**I.** Neque illum ego Judicem, æquum voca-  
vero, qui Grassatores ac Latrones  
custodie tradidisse satis habet, nisi etiam  
juste neci addicat. Neque te Pœnitentiæ  
partes adimplere dixerò, si comprehensa sa-  
gaci animi discussione scelera vivere præ-  
terea permittas. Tradenda sunt dolori, ut  
pereant, sed dolori genuino, quem Pœni-  
tentiæ nervum, pacis, **DEUM** inter ac  
homines caduceatorem, venie sequestrum  
merito possis nuncupare. Cæterum emitur  
dolor submissis precibus; ardentibus cum  
interposito Mediatoris sanguine, votis;  
diffusis non perfunctorie peccati momen-  
tis, per hæc pagellas adumbratis. Viden-  
dum imprimis, ne quid imperfectionis dolor  
admittat vel à metu gehennæ, vel à Cæli  
spe, vel à delicti dedecore; idque totâ ani-  
mi contentione agendum, ut Divinam in-  
scelere offensam, Majestatis supremæ inju-  
riam, bonitatis tantæ contemptum deplo-  
remus. Sed & efficacem abs te requiro do-  
lorem. Nullius ergo commodi blanditijs,  
incommodi terroribus, temporis aut op-  
portunitatis illicio, lethali te unquam pec-  
cato consensurum propone. Eorum demen-  
tiam lacrymis prosequor, qui dum iden-  
tidem frigida illa: Vellem mores corrige-  
re! ingeminant, neque ad firmum Volo  
gradum promovent, suis infernum replent  
volun-

PRO CONFESIONE.

voluntatibus. Quod unum sathanam per-  
cellit, quod Angelum exhilarat, quod  
Cælum locupletat, est: Volo. Denique nè  
quid Pœnitentiæ desit omni scelerum occasi-  
oni nuntium omnino remittes. Ages hoc  
ita, ut ipsum à te Sacramentum deseri ve-  
lim, ni præciso domi, foris, relapsus di-  
scrimine, illi persone, huic congressui, isti  
studio, & cuilibet criminum larvæ valefa-  
cias; at suffecerit, inquires, propositum:  
quorū tandem amicitia rescinditur. O  
te salutis tuæ prorsus immemorem, qui san-  
ctissima Numinis oracula sacrarum pagi-  
narum testimonia, Doctorum omnium ser-  
mone expressa ad tui regulam beneplacitū  
dimetiris! Quin potius ultro fateris, tuo  
tibi delicio, hoc est, putredinis ac vermium  
masse, viliores esse animi curam, Cæli  
pretium, **DEI** amicitiam?

Quæ comitentur Sacramentum?

**II.** Jam constantis amictus, esto animi  
pudor & demissio. Ita enim evenit,  
ut neque ad velanda delicta dolosus, neque  
ad excusanda mendax, neque ad graviores  
Judices fugiendos levis inveniatis. Reva-  
lescere non vult agrotus, qui pharmaca  
querit placitura. Vis medicum mali tui  
ignarum? vulnus igitur anime non sentis.  
Quæris Judicem elinguem? in te ergo e-  
tiam vibratur illud tonitru. Nec aperie-  
bant tibi iniquitatem tuam, ut te ad pœni-  
tentiam provocarent. Thren: 8.

Quæ



### CONSIDERATIO

Quæ consequantur Confessionem?

III. **S**uperest, ut confecto feliciter animi pleno cum peccatis & styge praelio, parta quædam velut spolia in DEUM, in proximum, in temetipsum disperdias. Ergo antiquius nihil habe profundo grati animi obsequio, quod & ob dissolutam mortis eterne sententiam, & ob restitutam sui amicitiam, equo sibi jure deposcit DEUS. Sequatur fidelitatis homagium, non sine precibus, quibus robur ad remittendos hostium incursum eblandiaris. At proximo laceratum nomen resarcire, iniqua lucra refundere in secundis curis reponere. Promptè exequendum est, quod differi longius citra culpam non potest. Tandem persoluto pœna debito optimas quasque coercendi & radicibus delendi peccati vias explora. Harum ternas suggero. Prima, precandi studium, quo tua stabiliri decreta, à DEO, & Deipara. enixè flagitabis. Altera, Fuga non simulata occasionum ad vetera respiciendi. Denique Sacramentorum Penitentiae ac Eucharistiae frequentia. Est tamen insuper est, imò gravissima, quæ te instructum pervelim, doctrina. Audire est, malum! permultos, qui ubi uno sese inquinaverint peccato, si, inquiunt, confitendum est; peccare jam liceat quantum libet. Quid hæc peste vel DEO magis injurium vel tibi noxium? ut offensus placetur DEUS, pluries offenditur, ipsaque naufragij tabula à DEO porrecta, contra Largitorem converti.

### PRO CONFESIONE.

vertitur? sed neque Confessionis legitimæ securus, & perniciosorum, everso licet peccato, effectuum plenus efficiaris. Dum febris discedit, non omnes continuo morbi reliquæ deperduntur. In uno habitu vitioso, quantum salutis tuæ perseverat impedimentum? quantum in animo post noxas singulas obscuriore, in voluntate semper duriore, in Divinis auxilijs rarioribus, in demone audacior, in te imbecilliore? Super tribus sceleribus Danaæ, & super quatuor non convertam eum. Amos 1.

### ORATIO

**A**gnosco, ô Domine, in cujus manibus fortes nostræ sunt, ô vitæ & mortis Arbitrator æquissime, agnosco debitam iniquitati meæ pœnam, esse, mentis cecitatem, quæ neque in deliciis meis agnoscere possim culpam, & eum qui ex culpæ agnitione nascitur, dolorem, ex dolore veniam non promerear. Verumtamen si iniquitates nostræ responderint nobis, fac propter nomen tuum. Hier. 14. Si minor ego sum, quam cui pro meritis Pœnitentiæ Sacramentum debeatur: majus certè ipsum Sacramentum est, quàm ut recipi quam congruentissimè non mereatur. Si dedecet ut mea tibi famuletur perversitas: decet tamen, ut tua omnium obsequijs colatur Majestas. Quocirca per illas lacrymas, quibus ærumnas olim meas miserebaris; per sanguinem, quo pro delictis meis lacrymabar, à te sinceram mihi contritionem donari postulo.



CONSID. PRO CONFES.

lo, & cum serio immutandæ vitæ proposito, stabilem omnes peccatorum ansas fugiendi voluntatem adaugeri. Convertere ad me, & convertar ad te; Sana me & sanus ero. Salva & salvus ero. Ita malitiæ abyssus abyssum invocat Clementiæ; cumq; inter hanc tuam & illam meam non iniqua sit proportio, spem habet non se confundendam in æternum: quin etiam sepultis in rubro sanguinis tui ac Pœnitentiæ mari, hostibus tuis, triumphalem promissæ terræ ingressum, & in ea plenum tui amoris, ac usum expectat,  
Amen.

F I N I S.



*[Faint, illegible handwritten text or scribbles on the right page.]*